

Aqua aspersum et sic purificatum, a Chaldaica radice מן, unde participium Passiui Hophal formari posset מןה Mudde pro *Munde*, At ea deriuatio, uti multis adhuc laborat difficultatibus, ita magis ingenii lusum, quam ueram uocis originem sapit. Majorem probabilitatis speciem habent ea, quae HEVBNERVS *Cosmopop. Diss. I. §. 3.* de etymo huius uocabuli profert, confirmans, omnino ueteres ex lingua latina illud petiisse, et sic Mundum dixisse, a *Mouendo* quasi *Mouundum*, et postea per contractionem *Mundum*, uti a *Iocando* fit *Iocandus* et deinde *Iucundus*, ita ut *Mundus* uel etymi ipsis nihil aliud fuerit, quam aliqua Compages rerum, quae in continuo sunt motu. Non equidem existimo talem ueteres intellexisse motum, qualis Coelo, soli, et astris competit, quae ex uno loco in alterum se mouent, et certis temporum spatiis, motum cursumque suum absoluunt, cuiusmodi motum, etiam terrae Copernicus ascribit, quo, uel iuxta illum, circa solem, uel secundum alios, in centro suo manens, circa suam moueatur axin; sed de eo potius motu loqui uidentur, quem quotidie in ipsa natura deprehendimus, quo perpetuo sese agitando, crescendo, nutriendo, propagando, uiribus a Deo concessis se mouet, et nisi ab externa quapiam uel impediatur, nullam fere experitur quietem, quam motus descriptionem, ipse etiam Aristoteles passim agnoscit. Confirmatur haec Vocabuli Mundi deriuatio suffragiis S. P. FESTI *de Verb. Signif. FRANCISCI SANCTI L. IV. Mineruae*, aliorumque.

§. III.

Optimam deriuandi rationem ex antiquis suppeditat nobis PLINIUS *Hist. Natur. L. II. 24.* Vniuersum hoc, inquit, ab adiectiuo, *Mundus*, Rein, Sauber, ob naturalem suum decorem et perfectam absolutamque elegantiam, *Mundum* dictum fuisse. Quae Plinii deriuatio, maxime propterea nobis arridet, quod plenissime, cum Graeca huius Vniuersi ap-

B

pella-